



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Tribvs Dagobertis Francorvm Regibvs Diatriba Godefridi Henschenii E Societate Iesv

Henschenius, Godefridus

Antverpiae, 1655

Liber Tertivs. Dagobertvs III Rex Francorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9599

DAGOBERTVS III

REX FRANCORVM.



ertius Regalem in scenam prodit DAGOBERTVS, haud admodum re aliâ, quàm genere regio, conspicuus, quippe Rege Childeberto natus, Theodorici filio, Chloduuei II ac S. Bathildis nepote: ceterum vanâ per omnem ferè vitam umbrâ regni ornatus, nisi quòd ei scriptorum quorundam recentiorum, non quidem assentatio (quis enim eius sit fructus?) sed imperitia, decora quædam, quæ Austrasiani DAGOBERTI erant, eiusque benefactorum gloriam attribuit. Nam alioquin

— *Nihil iste nec ausus,*

Nec potuit.

Omnis penes Pippinum erat potestas, in Austrasiâ præsertim, quam post DAGOBERTI II decessum ac Vulfoaldi Maioris-Domus (sub quibus etiam exercitibus præfuerat) totam ad se traxit, ac velut proprium regnum administrauit. Titulum tamen & huic adolescen-

lescentulo Regi, & patri eius Childeberto, ac Chlo-
doueo patruo reliquit, atque auo etiam, quem cum
acie vicisset, beneficio cumulasse, liberosque eius vi-
sus est, quod appellatione honoreque frui regio pas-
sus, & quæ ipse promulganda censuisset edicta, signa-
re. Ita ad summum honorem (ad quem plerique o-
mni conatu contendunt, qui Reges vel gratiâ circum-
uentos, vel opibus armisque & clientum suorum tur-
bis obsessos, habent in potestate) ad illud, inquam, cul-
men honoris prudētius aspirauit Pippinus, quàm eius
auunculus Grimoaldus, de quo in DAGOBERTO II
dictum. Firmare sibi ac suis spem regni maluit, quàm
preproperè titulum inuadere. Ita & Austrasiorum suo-
rum se beneuolentiâ communiuit, & minùs alienauit
Neustrasios. Ast hi tamen eo extincto, sub ipso adhuc
DAGOBERTO, mouère lacertos, aduersùs Austrasios
Ducemque eorum Theodaldum Pippini nepotem,
dein & Carolum Martellum. Idem, mortuo DAGO-
BERTO, alium ad gubernacula regni euocauère abs-
que Austrasiis, Chilpericum Childerici filium.

DAGOBERTO autem huic titulum martyrij ac sa-
cros honores, quos haberi illi quidam viri eruditi au-
tumant, non inuidemus, nec detrahimus: nec tamen
eò induci possumus, tantum vt illi dignationis imper-
tiamur. Credibilius putamus S. DAGOBERTVM Sa-

thanaci oppidi Tutelarem ab eo esse diuerſum : argumenta, quæ in vtramque partem afferuntur, proponemus.

I

Pater DAGOBERTI III Childebertus Rex. Huius regnum annis XIII terminatum. Subrogatur DAGOBERTVS adhuc puer.



Ortuo Chlodoueo III, filio Theoderici, adhuc paruulo, ac vitâ eius innocente finitâ, Pippinus Regem pro eo fratrem eius Childebertum constituit. Illis quidem nomina Regum imponens, ipse totius regni habens priuilegium, cum summâ gloriâ & honore tractabat. Ita auctor Annalium Metensium. Fauebat imperio Pippini puerilis ætas & Chlodouei III, & postea Childeberti, quem eo iuniorem fuisse, etiam tradit monachus Egolismensis in Vitâ Caroli Magni. Idem autem annus DCXCVIII & Chlodoueo vltimus fuit & Childeberto primus: vti anni Regum decessorum hæctenùs indicati probant, ac mox annus obitus Childeberti firmabit stabilitetque.

Petauius par. 2 Rationarij temporum lib. 4 cap. 17, Bucherius, aliique, opponunt scriptum quoddam in fine Chronici veteris Eusebiani, quod penes Bongarsium fuit, reperiunt, in cuius paginâ primâ libri aduersâ post generalem titulum ita legebatur: *In annum V Childeberti Regis Francorum, Pippino iubente, ab Adam sunt anni V millia DCCCC. Fuit Pascha X K. Aprilis. Ascensio Domini K. Madias per cyclum numerum*

merum annorum cXL. Repetitio à capite cycli. Hæc ibi, aliâ manu extra ordinem grandibus & vncialibus litteris scripta exhibent Pontacus in Apparatu ad Chronicon Eusebij paginâ 27, & Iosephus Scaliger in Animaduersionibus in Chronologica Eusebij, vltimâ ante Indicem paginâ, additque *quemadmodum est alia manus ab eâ, quæ totum Chronicon scripsit, ita magnum esse interuallum inter scripturam Chronici & huius Paschatis notationem.* Circa quæ fatemur annum ibi notari 1000000, periodi Victorianæ cXL, mundi creati secundum Eusebium post quinque millia 100000, quo, cyclo solis VIII, litterâ Dominicali E, cyclo etiam Lunæ XVI, Pascha celebratum est xxiii Martij. His non obstantibus arbitramur aliquot post hunc annum seculis illud ab imperito Chronographo aut compositum fuisse, aut certè vitiosè descriptum, à quo annus 1 Childeberti alibi lectus, in annum v commutatur: quod facillimè potuit contingere, cùm ea, quæ in rectam viam reducant aberrantem, neque antecedunt neque sequuntur. Ceterum annum primum Childeberti reponendum esse suadet ratio illa ab Adamo numerandi, illis temporibus sub obitum vnus & initium regni alterius visitata. Ita à morte Sigeberti 1 Regis Austrasiorum annus primus regni Childeberti filij, itidem Regis Austrasiorum, appositus ab Adamo annis, indicatur à Gregorio Turonensi lib. 4 cap. 46, & Fredegario in Historiâ epitomatâ cap. 74. Quidni illo exemplo proposito, huius Childeberti initium, subductis etiam ab Adamo annis, fuerit illustratum? Imò hæc verba, *Pippino iubente, scilicet Regis facti*, vti ex Annalibus Metensibus retulimus, primum fuisse regni annum innuunt. Et hæc de schedâ illâ ab incognito auctore è triuio aliquo desumptâ sufficiant, in gratiam illustrium scriptorum, qui inde sibi ἀλεξήτριον sperarant, examinata.

In Chronico MS. collegij Treuirensis Societatis Iesu auctore Saxone anonymo, hæc leguntur ad annum 100XCII, Iustiniani Imperatoris VI, *Chlodoueus filius Theoderici cum fratre Hildiberto regnare cepit.* Potuit scripti Bongarfiani auctor regnum Childeberti cum fratre Chlodoueo regnantis cœpisse à morte Theoderici parentis, ac postea perrexisse à morte Chlodouei fratris numerare annū v regni Childeberti, atq; ita nobiscum in annis Christi adiungendis necessariò consentiet. Eâ fortè ratione annos regni Childeberti numerant nonnulli septemdecim, qui à morte Chlodouei solùm fuerunt tredecim. Wasseburgius lib. 2 Antiquitatum Gallo-Belgicarum, in Agreberto xvii Episcopo Virdunensi, edidit partem testamenti Wolfandi, fundatoris celebris Abbatix S. Michaëlis, cum hac clausulâ: *Facta est hæc donatio in ipso monasterio, multorum conuentu bonorum hominum, anno xv regni Domini nostri Childeberti Regis. Signum VVolfandi, qui testamento donationis fieri rogauit. Ego VVolfandis Abbatisa signo. Signum Aggrebaridi Episcopi &c.* Quæ si mendis typographicis carent, neque annus xv in locum xi aut xii irrepsit; annos illius cùm fratre Chlodoueo regnantis numerari oportet. Nos cum reliquis auctoribus à Chlodouei fratris obitu eos inchoamus, quod hîc monuisse sufficit.

Auctor cœuus Historiæ iussu Childebrandi scriptæ apud Fredegarium cap. 104 hæc tradit. *Mortuus est his diebus Childebertus Rex, & sepultus Cauciaci in basilicâ S. Stephani Martyris. Regnavit autem annos tredecim.* Eodem modo annos Childebertum tredecim regnasse, legitur in Chronicis Regum Francorum breuiter digestis, & ex MS. Tiliano tomo I Scriptorum historiæ Francorum à Chesnæo pag. 797 vulgatis, & sequitur Ado in Chronico. Hos autem tredecim annos numeramus ab obitu Chlodouei, siue ab anno 100XCVIII ad

100CXI,

1000XI, quo Childebertum è vitâ decessisse referunt Annales Metenses, vti & Annales Franciæ breuiores ab auctoribus cœuis scripti, sub initium tomi II historiæ Francorum ab eodem Chesnæo editi: horum alij in monasterio S. Nazarij iuxta Rhenum scripti, & à Marquardo Frehero primum publicati sunt; alij ex peruetustis Codicibus MSS. Ioannis Tilij & Alexandri Petauij vulgati. Eodem anno obiisse Childebertum nobiscum censent Bucherius, Petauius alijque hætenus dissidentes, ab anonymo fabulatore de Gestis Francorum (quem toties reiecerant) adiuti. Apud hunc *Chlodoueus III annos solùm regnavit duos, Childebertus XVII*. Verùm illi, prioribus annis reiectis, posteriores allegant, tamquàm, vt in viam redirent, necessarios.

Quot annos Childebertus natus vitam finierit, incertum est. *Chlodoueus III paruulus Rex factus* traditur, & *puer mortuus*. Hoc Rege Childebertus frater iunior XIII solùm annis regnavit, sed ductâ vxore, & relicto filio DAGOBERTO mortuus: quem alij etiam *puerum*, alij *iuuenculum Regem*, & passim omnes *iuniorem DAGOBERTVM* appellant. Historia iussu Childebrandi scripta hæc solùm habet: *DAGOBERTVS filius eius sedem regni patris sui accepit*. Annales Metenses: *Post cuius, Childeberti, decessum Pippinus solitâ pietate filium eius DAGOBERTVM in Regem ordinavit*. Quæ in Genealogia Regum Francorum, vique ad vnctionem Pippini Regis ex MS. Regis Britanniarum editâ, ita leguntur: *Childebertus verò mox vt migravit ad Dominum, regnum eius suscepit filius eius adhuc puer*. Eadem verba repetuntur in hbello vetusti auctoris de Maioribus Domus regiæ. Et certè ætas Childeberti morientis persuadet hanc necdum maturam filij ætatem, quâ patri successit. Eadem infra stabilientur.

Childebertus Rex Solemium, Hannoniæ vicum in pago Fanomartensi situm, dedit celebri prope Parisios monasterio S. Dionysij, diplomate *anno regni XII, die XI Martij*, Christi 1000 signato: quod integrum vulgavit Dubletius in Antiquitatibus monasterij S. Dionysij pag. 688, & contractum Miræus in Notitiâ Ecclesiarum Belgij cap. 12. Idem Rex Childebertus concessit Pippino Herstallio, *de suo fisco & ex largitatis suæ munere, villam Eliste nuncupatam in loco Marithaimæ, in pago Batuâ*, vti testatur Carolus Martellus in diplomate à Wilhelmo Hedâ in Historiâ Ultraiectinâ relato, quo eadem villa donatur S. Willibrordo ab ipso Carolo Martello, cui *genitor suus* cum eam *villam iure hereditario in proprietatem concederet*, prudenter commonstrat auctoritate Regis Childeberti de fisco regio fuisse sublatam, vt ansa cauillationis præcideretur iis, qui eam conuellere donationem vel-
lent.

I I

*Suprema in Childeberti & DAGOBERTI regno
præfectura Pippini. Huius coniux Plectrudis,
num repudiata? Illius obitus.*

ERat Pippino, vt legitur in Historiâ iussu Childebrandi scripta cap. 100, *uxor nobilis & prudentissima nomine Plectrudis, genuitq; ex eâ filios duos: nomen senioris Drocus, nomen verò iunioris Grimoaldus*. Et dein cap. 101 post indicatum principium regni Childeberti, additur: *Drocus verò à Pippino genitore eruditus, Ducatum Campanensem accepit, Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maior-Domus Palatij super Francos electus*

etus est: fuitq; vir mitissimus, omni bonitate & mansuetudine repletus, largus in eleemosynis, in orationibus promptus. Interim Pippinus & Plectrudis viros Apostolicos ope atque auctoritate iuuabant, de que ecclesiis & monasteriis optimè promerebantur, vt alibi sæpè occasio erit dicendi. Wasseburgius in antiquitatibus Gallo-Belgicis pag. 100, & Philippus Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 5 § 1, vulgarunt illustre monumentum donationis, ac dein commutationis ab his Principibus factæ, cuius hîc partem damus hoc exordio:

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Dum inter illustro viro Pippino eiusq; illustrâ matronâ Plectrude, apud Apostolico viro Armonio Episcopo Virdunensis vrbis, seu & venerabili viro Angleberto Archidiacono, qui in ecclesiâ S. Videno, vbi suus pretiosus corpus quiescit, præest, esset cambatio de locellâ per commutationis titulum, sibi inuicem & congrua vel opportuna facere deberent; quod ita & fecerunt. Ideò per præsentem commutationem donat illuster vir Pippinus, eiusq; illustra matrona Plectrudis locum nuncupante Pararico... ad partem Ecclesiæ Domino Videno, vel qui ibidem præfuerint, aut Clericis ibidem deseruientibus, in omnem soliditatem donant & affirmant, vt, quidquid de his vtile Ecclesiæ decreuerit voluntas, faciendi liberam habeat potestatem. Similiter donat ipse Apostolicus vir Armonius Episcopus, & venerabilis vir Anglebertus Archidiaconus, locum nuncupante Commentarias, quem ipse Pippinus eiusq; illustra matrona Plectrudis ad ipsam Ecclesiam Domino Videno per chartulam cessionis eorum tradiderunt, cum adificiis, pratis... Facta hæc commutatio sub die XIII Kalend. Februar. anno VII regni Domino nostro Childeberto Regis, ergo anno Christi 1000. Ego Hardricus, iubente Domino Pippino eiusq; illustrâ matronâ Plectrude, hanc chartam scripsi & subscripsi. Hæc ibi de donatione Pippini & Plectrudis, & dein post elapsam aliquot annorum spatium commutatione anno 1000 factâ ab
eisdem

eisdem Pippino & Plectrude simul degentibus. Idem Pippinus gloriosissimus Dux cum nobili coniuge suâ Plectrude adificauit Floriacum cœnobium in pago Velocassino, anno IX Childeberti Regis; ergo anno Chr. 1000CVII aut sequenti. Agitur de eo cœnobio in Chronico Fontanellensi in Baino Episcopo & Abbate, quem eidem prefecit Pippinus Rectorem.

In historiâ iussu Childebrandi scriptâ cap. 102 hæc de Pippino referuntur: *Pippinus contra Ratbodem Ducem Gentilem Frisonum gētis aduersus alterutrum bellum intulerunt, castro Dorestate, illic belligerentes inuicem. Pippinus victor extitit, fugatoq; Ratbodo Duce cum Frisonibus, qui euaserant, idem Pippinus cum multis spoliis & prædâ reuersus est. Post hæc Drocius filius Pippini à validâ febre correptus, mortuus est, & sepultus in basilicâ B. Arnulfi Confessoris in Mettis vrbe. Grimoaldus quoque ex quadam concubinâ genuit filium, nomine Theudoaldum.* Quo hæc tempore gesta sint indicatur in Annalibus breuibus à Frehero ex MSS. S. Nazarij editis, qui sic incipiunt: *Anno 1000CVII Pippinus senior regnare cœpit, ob victoriam de Ratbodo reportatam. Anno 1000CVIII Drogo mortuus. Anno 1000CCX Pippinus perrexit in Alemanniam.* Annales alij ex MSS. Tiliij & Petauij ita incipiunt: *Anno 1000CVIII. Quando Drogo mortuus est tempore verni. Anno 1000CCIX Quando Dominus Pippinus perrexit in Suauis cōtra VVilarium. Anno 1000CCX. Item Pippinus in Suauis contra VVilarium.* Bellum hoc Sueuicum pluribus refertur in Annalibus Metensibus, quo omisso, hæc traduntur in Historiâ iussu Childebrandi scriptâ, cap. 103 & 104: *Igitur presatus Pippinus aliam duxit uxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex quâ genuit filium, vocauitq; nomen eius linguâ propriâ Carolum. Creuitq; puer elegans, atque egregius factus est. Mortuus est his diebus Childebertus Rex, anno, vt diximus, 1000CXI.* Quæ autem inter obitum Droci, seu Drogonis & Childeberti

deberti Regis narrantur de Alpaide & Carolo Martello, referuntur ad annos interpositos 1000 & 1001, quando forsitan Carolus post obitum Droci, seu Drogonis, in familiam est à Pippino adscitus. Quo tamen tempore Pippinus & Plectrudis simul viuebant, quando eas, quas habebant Epternaci possessiones, donasse S. Willibrordo supra diximus relato diplomate, cuius hoc est exordium: *Ego in Dei nomine illustris vir Pippinus, filius Ansgisi quondam, nec non illustris matrona mea Plectrudis filia quondam Hugoberti.* & hæc additur clausula: *Actum Gaimundis III Idus Maias regni D. N. Childeberti anno XII. Pippinus & Plectrudis ... subscripsere.* Fuit is annus Christi 1000 aut sequens.

In Historiâ iussu Childebrandi scriptâ, narrato exordio regni DAGOBERTI additur, *Grimoaldum filiam Ratbodi Ducis duxisse uxorem.* vti etiam habetur in Annalibus Merensibus ad illum annum 1001, & hæc subduntur: *Anno 1002 Pippinus iterum obstinatione Alamannorum motus, Rhenum transiens cum validâ manu totam illam regionem subuertit, suâq; ditioni subegit.* Anno 1003 Pippinus Princeps infra Principatus sui terminos ea qua pacis erat disponens, in nullam partem eo anno exercitum duxit. Anno 1004 agrotante Pippino in Iopilâ villâ publicâ, qua sita est super fluuium Mosam, cum ad visitandum eum filius eius Grimoaldus properaret, & ad orationem in basilicâ S. Lamberti Martyris processisset, & diutius in oratione pronus persisteret, à æquissimo viro, nomine Rangario, gladio percussus occubuit. Pippinus vero Princeps de infirmitate conualescens, omnes qui in illo consilio fuerant, iustâ ultione interemit: in locumq; Grimoaldi filium eius parvulum ex concubinâ natum, nomine Theodaldum, Maiorem-Domus cum DAGOBERTO Rege constituit, Hæc ibi: quorum aliqua de morbo Pippini, nece Grimoaldi, & Theudoaldo creato Maiore-Domus, etiam leguntur in Historiâ iussu

Childebrandi scriptâ cap. 103.

In illo morbo post necem Grimoaldi coram Plectrude coniuge suâ Suuestram prædium S. Willibrordo donasse Pippinum tradit Browerus lib. 7 Annalium Treuirensium pag. 435. *Diploma, inquit, vetus inspeximus, quo ipse Pippinus in villâ Bagoloso, regnante iam tum DAGOBERTO, iacens ex morbo, S. Willibrordum prædio Suuestrâ donat, quod prædium ipsum ad riuum cognominem in pago Mosariorum situm esse confirmat, atque ut in nepotum, Grimoaldi & Drogonis filiorum, sit tutelâ, cauet. Denique cum propter morbi magnitudinem subnotare non potuisset ipse, Plectrudi coniugi dat negotium, ut ipsa donationem subscribendo corroboret.* En Plectrudis coniux cum suo marito, & prædium Suuestra tutelæ non Caroli Martelli, sed nepotum, Drogonis & Grimoaldi filiorum, commissum. Illam donationem Theofridus in Vitâ S. Willibrordi ita affirmat: *Idem munificus Princeps, sub chirographi conscriptione, anno IV Regis DAGOBERTI, VI Nonas Martij, tradidit illi Willibrordo villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluentis fluuij nomine suestram nuncupatam, & egregiæ Blittrudis sagaci industriâ ab ingenuis viris pecunia impendiis comparatam.* Est Suestra, siue Sustera, illustre nobilium Virginum monasterium cum oppido adiuncto circiter ter mille passus à Mosâ remotum, è regione ferè Masaci, seu Masecæ oppidi, Traiectum inter & Ruremundam, in pago siue Comitatu Mosariorum, siue Masariorum, aut Maselandiæ, de quo nomine alibi accuratè actum est.

Eodem quoque anno IOCCXIV, ut traditur in Annalibus Mentensibus, Pippinus Princeps iterum molestiâ corporali correptus, circumstitis gentibus Francorum dominationi subactis, in pace obiit XVII Kalend. Ianuar. Rexit autem populum Francorum annis XXVII & mensibus sex. In Annalibus Francorum auctioribus, è MS.

Tiliano

Tiliano à Chesnæo pag. II tomo 2 historiæ Francorum editis, hæc leguntur : *Anno 1000XIV depositio Grimoldi, & depositio Pippini in medio Decembrio.* Ab eius obitu ita incipiunt Annales Francorum Fuldenses : *Pippinus filius Anchisi Dux Francorum, post mortem VVolfaldi Ducis partem Austria regebat, obtinuitq̄, regnum Francorum per annos XXVII cum Regibus Ludouico, Hildeberto & DAGOBERTO. Moritur anno II Anastasij Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini 1000XIV in mense Decembri.* Eodem anno 1000XIV vitâ sanctum esse passim omnes Chronologi & historiographi scribunt, etiam Bucherius, Fisen, aliiq̄ue hætenus à nostrâ chronotaxi discrepantes, qui absque vilo præuio exemplo præfecturam Pippini ad annos quadraginta protraxerunt.

Mortuo Pippino *relictam esse Plectrudem viduam* tradunt Annales Metenses : quam ad obitum vsque marito cohabitasse innuunt antiqua monumenta. Amauit interim Pippinus Alpaidem, ex eâque genuit Carolum Martellum & Childebrandum : cuius iussu scripta Historia refert, vt supra dictum, *Pippinum aliam duxisse uxorem*, idq̄ue, vt addunt Annales Fuldenses, *priore coniuge posthabitâ*, seu minùs amatâ. Verùm quæ in eadem Historiâ appellatur *concupina Grimoldi*, ex quâ hic genuit Theudoaldum, in Genealogiâ Regum Francorum ex MS. Regis Britanniarum editâ, & in libello de Maioribus Domus regiæ, vocatur etiam *alia coniux Grimoldi*, vti mater Caroli, *alia Pippini vxor* : vt hæ voces, *alia coniux, alia vxor, & concubina* videantur pro eodem promiscuè sumi. Hinc in Erchanberti fragmento, ex Breuiario Regum Francorum & Maiorum-Domus, dicitur *Carolus filius Pippini ex concubinâ*, & à Flodoardo lib. 2 Historiæ Ecclesiæ Remensis ante annos 1000 scriptæ cap. 12, *Carolus ex ancilla stupro natus*, quæ in Historiâ iussu Childebrandi scri-

ptâ *elegans & nobilis* habetur. Quæ ex Pseudo-Marcelli no
in Vitâ S. Swiberti referuntur, pro neutrá parte merentur
citati.

I I I

*Bellum sub DAGOBERTO inter Austrasios & Neus-
trios. Obitus DAGOBERTI.*

IN Historiâ iussu Childebrandi scriptâ hæc leguntur cap.
104: *Post obitum eius, id est, Pippini, Plichtrudis matrona præfa-
ta, suo consilio atque regimine cuncta agebat. & quidē discreto regi-
mine, vt explicat Chronicon Moissiacense. Sed dein, vt refer-
tur in Annalibus Metēsis, maxima cōturbatio orta est in gente
Francorum. Nam maiores natu filij eius Drogo & Grimoaldus, ipso
Pippino viuente, vitâ discesserant. Theobaldus verò, Grimoaldi
ex concubinâ filius adhuc puer erat: qui etsi patri in principatu suc-
cesserat, minimè tamen tantum regnum dignè gubernare prauale-
bat. Quo tempore, vt in priori Historiâ legitur, Franci mu-
tuò in seditionem versi, consilio inuiti, commissâ acie in Cociâ siluâ
contra Theudoaldum & leudes Pippini quondam & Grimoaldi in-
ière certamen: corruitq; ibi immodicus exercitus. Theudoaldus ita-
que à sodalibus suis per fugam lapsus euasit. Magna & valida per-
turbatio & persecutio extitit apud gentem Francorum. Eo tempo-
re elegerunt in honorem Maioris-Domus quemdam Francum, no-
mine Raganfridum. Commotoq; exercitu hostili vsque Mosam flu-
uium properant, cuncta vastantes. Cum Radbodo Duce fœdus inie-
runt. His diebus Carolus Dux, à præfatâ feminâ Plichtrude sub cu-
stodiâ detentus, Dei auxilio liberatus est. Eodem tempore DAGO-
BERTVS Rex obiit, regnavitq; annos quinque.*

Eadem

Eadem, sed aliquantulum amplificata, traduntur in Annalibus Metensibus, scilicet à Francis in locum Theodaldi Raginfridum Maiorem Domus sub DAGOBERTO Rege constitutum esse. Tunc gentem illam omnium beneficiorum inuicti Principis Pippini pariter oblitam, in Austrasiam toto impetu properantes, usque ad Mosam fluum totam illam regionem vastauisse. . . . Eodem tempore DAGOBERTVM Regem obiisse, qui regnavit annis quinque. In Annalibus Francicis breuibus ex MSS. S. Nazarij à Frehero editis hæc coniunguntur: Anno 1000XV *Pugna Francorum & mors DAGOBERTI Regis.* In aliis Annalibus ex MSS. Tiliano & Petauiano: Anno 1000XV DAGOBERTVS Rex mortuus est, & Saxones deuastauerunt terram Hattuariorum, siue Hazzoariorum. Quæ eadem leguntur in Annalibus Fuldenibus. At Chronicon Moissiacense: *Eo tempore DAGOBERTVS Rex agrotans mortuus est anno II regni sui.* Quod regni tempus melius exprimitur in Gestis Francorum: *Sequente tempore DAGOBERTVS Rex agrotans mortuus est, regnavitq; annos v.* Ita alibi passim mortuus dicitur, nusquam occisus: quod tamen, vt infra examinabitur, recentiores dixerunt. Annos quinque regni eius numeramus ab initio anni 1000XI ad finem ferè anni 1000XV. atque ita in Chronico breuissimo ex MS. Tiliano pag 781 à Chesnæo tomo I historiae Francorum relato, dicitur: DAGOBERTVS regnavit annos IV, obiit in v. Baronius tradit anno 1000VIII in locum Childeberti subrogatum DAGOBERTVM II, regnum tenuisse annos quinque. At veritus, vt eos rectè componeret cum morte Pippini, ac initio præfecturæ Caroli Martelli, altissimo eius obitum silentio inuoluit.

Huius DAGOBERTI diplomate anno II regni signato, confirmantur immunitates aliaque priuilegia à genitore eius Childeberto concessa Ecclesiæ Cenomanensi. Refertur id

à Labbeo in Miscellaneis curiosis cap. 3 § 2, vbi agit de DAGOBERTO I, annotat tamen ad hunc DAGOBERTVM pertinere: à quo *Præceptum immunitatis Ecclesiæ suæ obtinuisse S. Rigobertum Episcopum Remensem* tradit Flodoardus lib. 2 Hist. Eccl. Remensis cap. 11. Sed & Hugo Drogonis filius, Pippini nepos, dum adhuc laicus esset, largitus est Benigno Abbati Fontanellensi Vierlacum villam, quæ sita est in pago Tellau super fluuio Eora, quæ ipsi de iure prædictorum parentum suorum obuenerat. Facta est hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis 1000XIII, qui fuerat annus DAGOBERTI iuuenuli Regis III, Pippini autem Ducis XXVI, XI Kalend. Iuliarum die, feriâ IV. Ita Chronicon Fontanellense in Hugone Abbate: in eum annum 1000XIII reliqui characteres conueniunt, cyclo Solis XXII & litterâ Dominicali A, Imò, vti in Benigno Abbate narratur, anno quinto, regnante DAGOBERTO iuniore Rege, quidam Presbyter, nomine Leutbertus, vir valde diues, contradidit eidem venerabili Patri Benigno prædium, quod vocatur Bodardi-villa, situm in pago VVinnau.... unde statim priuilegium confirmationis, à prædicto Rege editum, accipere curauit, quod adhuc in scriniis nostri cænobij reconditum retinetur. Quin & Benigno Abbati largitus est DAGOBERTVS Rex iunior quartam partem de Arlanno foreste, anno quinto regni sui, suggerente Theodaldo Maiore-Domus regia, per loca designata.... Edita est autem hæc donatio, siue confirmatio, à præfato Rege DAGOBERTO, anno Dominicæ Incarnationis 1000XV, Indictione XIII, V Iduum Iuniarum die Dominicâ. Eodem anno ipse DAGOBERTVS Rex mortuus est. Congruunt & hîc characteres, concurrente in dictum annum cyclo Solis XXIV, litterâ Dominicali F. Ibidem recensentur villæ aliaue donaria, quæ eidem Benigno Abbati collata sunt, cum hoc benè meritorum ordine: Ermoaldus primo anno DAGOBERTI iuuenuli Regis X Kalend. Martij. Erinnulfus anno II. Gaugia femina

mina anno III, Erinfridus anno IV. & Aganulfus anno V, XIII Kalendas Aprilis. Sed eminent Brotmundus eiusque filius Milo Presbyter, qui tempore conuersionis suæ huic monasterio largiti sunt patrimonia duo Offimacas & Bettonis curtem in pago Tellau, anno III Dagoberti iunioris, qui erat Pippini senioris Ducis XXVI, Incarnationis Dominicæ 1000XIII. Ac relatâ sanctè à Milone peractâ vitâ, addit auctor: Audiui narrantem quemdam venerabilem senem, qui ab eo didicit, qui ipsum Milonem multo tempore vidit, quòd fuisset staturâ procerus, vultuq; angelicus, caluitiem habens capitis venerandam. vnde, quo vixerit tempore scriptor Chronici Fontanellensis, sciri potest. De eo infra iterum agemus.

I V

Chilpericus Rex successor DAGOBERTI, filius Childerici Regis anno 1000LXXIX occisi. Illius bella & obitus. Contra eum Chlotarius à Carolo Martello Rex creatus. Abbates primi Corbeiensis.

MORTUO in iuuenili ætate DAGOBERTO Rege, & adhuc, quod verosimilius nobis videtur, cælibe & forsan impubere, Franci Danielem quondam Clericum, cesarie capitis crescente elegerunt, atque Chilpericum nuncupant. Ita Historia iussu Childebrandi scripta cap. 106, Chronicon Moissiacense, Annales Metenses, aliæque Gesta & Genealogia Regum Francorum. Monachus Egoisimensis in Vitâ Caroli Magni hunc Chilpericum scribit esse fratrem DAGOBERTI iunioris,
illiusq;

illiusq; consanguineum Theodericum successorem. Verùm ordo illic immutatus, fortassis ita emendandus, vt Chilpericus dicatur consanguineus DAGOBERTI iunioris, & Theodericus frater Chilperici: qui Calensis cognominatur, quòd feratur in monasterio Calá enutritus, sub S. Bathilde, quam auiam suam Chilpericus agnoscit, vt Childericum patrem: post cuius necem vixit S. Bathildis in Calensi monasterio ad annum ferè 1001 XXXV: cuius anima recepta est ab Angelorum choro, vel obuiante amico suo fidelissimo quondam Domino Genesio Episcopo Lugdunensi, mortuo mense Nouembri anno 1001 LXXXIV: vt auctor non multis annis post obitum S. Bathildis in eius Vitá narrat. In hoc ergo monasterio post necē patris Childerici videntur hi filij eius delituisse, tutelamq; & defensionem securissimam obtinuisse apud S. Bathildem auiam, ac post huius obitum apud S. Bertilam eiusdem monasterij Abbatissam, aliasq; sanctimoniales. Quarum consilio, vt omnis præcideretur inuidiæ contentionisq; occasio, apud Regem Theodericum patrum, eiusq; liberos & fautores, videtur Chilpericus in Clericum attonsus esse & nomē Danielis assumpsisse.

Huius Chilperici natiuitatem certam atque indubitatam reddit diploma ex codice MS. Viridunensi editum à Philippo Labbeo in Miscellaneis curiosis cap. 5 § 2, quo confirmatur bona monasterio Corbeienfi donata, genusq; regium huius Childerici indicatur. Ex illo nonnulla huc transcribo: *Religiosus, inquit, & venerabilis Abbas de monasterio, cognominante Corbeia, qui ponitur in pago Ambianense, quem auunculus noster Chlodecharius quondam Rex vel Domna & auia nostra Baldechildis quondam Regina, ob amorem Christi in honorem SS. Petri & Pauli Principum Apostolorum & S. Stephani Martyris, visse fuerunt construxisse, ad nostram accessit presentiam, Clementie regni*

regni nostri suggestit, eò quòd præfatus auunculus noster Chlotarivus quondam Rex, seu etiam dicta aua nostra Domna Baldechildis Regina, unde luminaria monachi ibidem consistentes habere deberent, de teloneo ad Fossas annis singulis ad ipso monasterio concesserunt. . . . Vnde & ipsà præscriptione subscripto auunculo nostro Clodecario, nec non & auà nostrà Baldechilde Reginà, sed & confirmatione Domno & genitore nostro Childerico quòdam Rege, ipse venerabilis Sebastianus Abba nobis in præsentem de hoc protulit relegendam. . . . Data sub die tertio Kalend. Maij, anno primo regni nostri, Compendio, in Dei nomine feliciter. Annus is erat Christi 1000CVI, quo Sebastianus Corbeiensium quartus Abbas vivebat. Primus fuit S. Theodesfridus, tẽpore Chlotarij III fundatoris: quo ad Episcopatum Albigensem euecto, cùm Theoderici Regis consensu successit II Abbas Chrodegarius: quo vità functo constitutus est III Abbas Erembertus, cuius electionem idem Rex Theodericus confirmavit. At Sebastiani successor Grimo quintus Corbeiensis Abbas anno 1000CXLI Romam ad Gregorium III Pontificem à Carolo Martello legatus est. Chlotharij & Theoderici Regum pro Corbeiensibus tabulas edidit Sirmondus tomo I Cõciliorum Galliæ ex codice Viridunensi, ex quo etiam descripserat diplomam Chilperici à Labbeo vulgatum: cui & tempora Chilperici Regis & Sebastiani Abbatis fidem conciliant, quam præcedentium diplomatum consensus certissimam reddit: vt mirum sit Chilpericum filium Childerici ab San-Marthanis lib. 4. Historiæ Genealogicæ Francorum cap. 6 alium statui à Chilperico Daniele, DAGOBERTI Iunioris successore, de quo agunt cap. 9.

Hunc DAGOBERTVM Regem Chilpericus consobrinum suũ appellat in altero diplomate monachis S. Mauri ad Ligerim dato Parisiis VIII Kalend. Maias anno II regni, Christi 1000CXVII,

in quo & meminit *Raganfredi Maioris-Domus*. Erant fratres Childericus pater Chilperici, & Theodericus auus DAGOBERGI Iunioris: hinc pro rudis illius æui inscientiâ *consobrini* appellati. Magnam huius diplomatis partem edidit cum præcedenti Labbeus. Tertium eius diploma refert Duple- tius in Antiquitatibus monasterij S. Dionysij pag. 689, *datum Compendij pridie Kalend. Martias eodem anno 11 regni*, in quo mentio fit *Turnoaldi Episcopi Parisiensis, & Raganfredi Maioris-Domus*.

Hic ergo *Chilpericus filius Childerici* à Francis in Neuftriâ in Regem assumptus, quod decessores Reges sub Pippino non fecerant, ipse quadraginta circiter annos natus, præfuit militiæ, exercitusque duxit: ac primò anno 1000xvi in auxilium belli *Radbodo Frisonum Duce* euocato, cum *Raganfredo Maiore-Domus* Austrasiam ingressus, & clade aliquâ exercitui Caroli Martelli illatâ, *Coloniensium ditiones, & regiones Rheno vicinas vastavit, acceptisque à Plectrude muneribus reuertens*, ab exercitu Caroli grande perpeffus est damnum.

Anno 1000xvii post priuilegium monasterij S. Dionysij signatum *Compendij pridie Kalend. Martias, & Rex Chilpericus & Raganfridus Maior-Domus* exercitum in Austrasiam duxerunt. At *Vinciaci in pago Cameracensi, die Dominicâ in Quadragesimâ, xii Kalend. Aprilis, à Carolo deuicti, & in fugam lapsi terga vertentes, euaserunt. Quos Carolus Parisios usque persecutus est. vt legitur in Historia iussu Childebrandi scriptâ, Annalibus Fuldensibus, Metensibus, aliisque. Dicto anno 1000xvii, cyclo Lunæ xv, Solis xxvi, litterâ Dominicali C* incidebat Pascha in diem 1v Aprilis, & dies xxi Martij, seu xii Kalendas Aprilis, in Dominicam Passionis, vt eam ritu Ecclesiastico appellamus. Regressus Parisios Rex cum *Raganfredo, ibidem viii Kalendas Maias* signauit alterum, quod dixi-

diximus, monasterio S. Mauri ad Ligerim indultum priuilegium.

Carolus victor regressus, Coloniam urbem cepit reseratam, & thesauros patris Pippini à Plectrude sibi tradi curauit. Quæ in Annalibus Fuldensibus ad annum 1000CVIII referuntur, quando Carolus Chlotarium Regem constituit, nomine, non potestate. Tunc Chilpericus Rex & Ragenfridus, auxilio Eudonis Ducis Aquitanorum instauratâ rursus acie, superati fugantur à Carolo, secundum eosdem Fuldenses Annales. Verum Eudo, vt addit historia iussu Childebrandi scripta, Chilpericum Regem secum cû thesauris suis auexit. Chlotharius Rex eo anno obiit. Insecuto anno 1000CXIX Carolus per Missos suos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Regem cum multis muneribus recepit. Veniensq; urbem Nouiompost non multum tempus cursum vite & regnum amisit, & mortuus est, regnavitq; annos VI. Hæc ibi. At reliqui annos V scribunt, qui anni istic restituendi, à 1000CXV scilicet ad 1000CXX, quo Chilpericum mortuum esse referunt etiam Annales Fuldenses. Hugo filius Drogonis, nepos Pippini, largitus est VVitlanam villam VVandoni Abbati Fontanellensi anno I Chlotharij Regis, quem Carolus post fugam Chilperici ac Ragenfridi Regem sibi statuerat. Et possessa est ea villa ab hoc cænobio vsque ad regimen VVidonis laici Abbatis per annos XLIII. Ita Chronicon MS. Fontanellense.

*Theoderici ultimi regnum xvii annorum. An
DAGOBERTO patre natus? Interregnum Caro-
li Martelli.*

INter Reges Francorum primæ stirpis Merouingicæ qua-
tuor fuere, *Theoderici* nomine: primus Chlodouei I fi-
lius, qui regno Francorum quadrifariam diuiso ab obitu
patris, id est à xxvii Nouembris anni 1019, regnum Metense,
quod dein Austrasiorum dictum est, cepit, mortuus sub
finem anni 1033 aut initium sequentis. Secundus *Theo-
dericus* est filius Childeberti Regis Austrasiorum, & à mor-
te S Guntramni, etiam Burgundiæ, quo anno 1056 vi-
tâ functo, regnum Burgundiæ obtinuit *Theodericus*, &
Theodeberto fratre prælio victo, etiam Austrasiorum anno
1062, at sequente 1063 Metis mortuus. Tertius *Theo-
dericus* est filius Chlodouei II, qui Chlothario III fratre se-
niore defuncto anno 1066 Rex Neustriæ electus regno
pulsus, euocato ex Austrasiâ Childerico altero fratre: quo
dein anno 1069 occiso, regnum recuperavit, tenuitque
vsque ad annum 1074.

Quartus *Theodericus*, mortuo Chilperico anno 1074, à Ca-
rolo Martello in sedem regni constitutus est, vti his verbis tra-
ditur in Annalibus Fuldēsis. Auctor Historiæ iussu Chil-
debrandi scriptæ cap. 107, *Chilperico Rege, inquit, mortuo,
Theodericum Regem statuerunt in sedem regni, qui nunc locum so-
ly regalis obtinuit annis vita simul præstolatus, seu potius prote-
latis, vti legendum censet Labbeus in elogiis historicis Re-
gum*

gum Francorum num. 18. At *nunc* dicitur, quia Historiam suam auctor primâ vice finiuit cap. 109, relatis annis ab Adamo, diluuiio, Abrahamo, Moyse, Salomone, templo reâdificato, & Christo, vbi hæc leguntur: *A passione Domini usque in istum annum presentem. in Cyclo Victorij anni CLXXVII Kalendis Ianuariis, die Dominicâ anni 1000XXXV, & ut istud millenarium compleatur, restant anni CCLXV.* Bucherius in eruditis Commentariis ad Canonem Paschalem Victorij ca. 10 explicat eos annos in Cyclo Victorij CLXXVII Kalendis Ianuariis die Dominicâ inchoatos fuisse, e contra 1000XXXV completos, & quidem non à Passione, sed à Natiuitate Christi iuxta vulgarem epocham, quæ tunc in usum sensim inuehebatur, itaque incipiebat annus 1000XXXVI. At vixit Theodericus ad annum sequentem 1000XXXVII, vti legitur apud Labbeum in codice MS. computus Ecclesiastici his verbis: *A Natiuitate Domini usque ad prædictum annum, in quo Theodericus Rex Francorum mortuus est, 1000XXXVII: in quo anno Indictione v, Epacta xv, Concurr. 1. . . . Pascha ix Kal. Aprilis Luna xvii, &c.* In Chronicis duobus breuissimis ex MS. Remensi, & MS. Tiliano relatis in Historiâ Francorum Chesnæi tomo 1 pag 781, dicitur *Theodericus regnasse annos xvii*, scilicet ab anno 1000XX ad 1000XXXVII. Hæc de annis regni Theoderici vltimi quæ Childerico patre videri natum, & fratri Chilperico successisse supra innuimus.

Gesta Reguli Francorum his verbis concluduntur: *Frâci Theodericum II. Cala monasterio enutritum, filium DAGOBERTI Iunioris, Regem super se statuunt: qui usque nunc in regno subsistit.* Ex quibus ea, quæ ex Historia iussu Childebrandi, Theodorico viuente, scriptâ defumuntur, indubitata sunt, cuius imitatione se tunc etiam viuere finxit. Continuator Aimoini hæc Regum Gesta à cap. 44 interferit libro quar-

to, & continenti methodo historia Aimoini deducitur ad annum Christi cclxv, relictis interim de Theoderico verbis istis: *Qui nunc sexto anno in regno subsistit*: tamquam auctor idem seculis prope quinque continuis vixisset, qui seculo illo vndecimo videtur magnâ incuriâ Gesta Regum ex variis congeffisse. In Fragmento Ercanberti hæc ita referuntur: *Theodericum filium TAGOBERGI iunioris Franci in Regem sibi statuunt, qui nutritus in Calâ monasterio erat, regnavit q̄, annis vi.* scilicet quia apud Continuatores Aimoini legabatur eum *sexto anno in regno subsistere.* In Chronicis Francorum breuiter digestis ex MS. Tiliano pag. 797 & in libello vetusti scriptoris de Maioribus-Domus, dicuntur. *Franci Theodericum DAGOBERGI iunioris filium Regem super se statuiffe*: quæ ex Gestis Regum Francorum descripta sunt. In eodem libello de Maioribus-Domus *regnum DAGOBERTO adhuc puero collatum esse supra retulimus: imò ex ætate eius & Childeberti patris ac Chlodouei III patruï probauimus eum in iuuenili ætate decessisse, ideoque nomen Iuuenuli & Iunioris obtinuiffe.*

Mortuo Theoderico, Carolus Martellus per reliquum vitæ tempus sine alio Rege imperauit, vsque ad annum MCCXLI, quo mense Octobri Parisiis vitâ functus est, & in monasterio S. Dionysij sepultus: cui antè indulserat priuilegium à Dubletio pag. 690 relatum, cum hac clausulâ: *Actum Careciaco villâ in palatio, quando fecit mensis September dies xvii, annum v post defunctum Theodericum Regem. Signum Inlustro viro Karlo Maiorim-Domus, qui hanc epistolam donationis fieri rogauit.*

V I

Childerici ultimigenus, regni abdicatio. Regnum Pippino anno 1000 delatum. Theodericus filius Childerici monachus Fontanellensis.

E Diuisione Caroli Martelli Principatum regni filij eius Karlomannus & Pippinus aliquamdiu absque villo Rege administrarunt. Extat diploma Pippini, quo Ecclesiæ Matisconenfis immunitates confirmantur, cū hac clausulā: *Signum Pippini Maioris-Domus. Ego Rodalgus iussus scripsi. Actum Kalendis Ianuarij in anno secundo Principatus eiusdem Pippini in ciuitate Metis in Palatio regio.* Is erat annus 1000, sub cuius initium assumptum esse Childericum vltimum in Regem Francorum, colligimus ex Concilio Sueffionensi tunc habito, ad quod ita præfatur Pippinus: *In Dei nomine & Trinitatis. Anno 1000 ab Incarnatione Christi, sub die vi Nonas Martij & Lunā xiv, in anno secundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux & Princeps Francorum.* Chronicon Fontanellense in Hugone Abbate tradit *Theodericum Regem fuisse patrem Childerici Regis uouissimi ex genere Merouingorum, cuius filius, aui nomine Theodericus appellatus, ac patre deposito, in Clericum attonsus, in monasterio Fontanellensi collocatus est; vt infra ex eodem Chronico dicetur.* In Genealogiā Regum Francorum apud Chesnæum tomo 1 pag. 793 dicitur etiam *Theodericus genuisse Hildericum, qui in Sicho monasterio constitutus est.* Monachum esse factum tradit Iperius Abbas Sichiuenfis in Chronico Bertiniano capitulo 6 par. 2 his verbis: *Anno Principatus Pippini viii, id est, anno Domini*

mini IOCCI Pippinus videns Hildericum Regem senem, & . . .
 Reip. in nullo subuenire . . . nuntios misit ad Zachariam Papam . . .
 Audito responso Franci Regem Hildericum attonsum in monachum
 in monasterium istud S. Bertini in Sythiu detruserunt. Quem Ab-
 bas Nantharius in monachum suscepit, & ut melius potuit, eius cu-
 ram egit. Sic quoque Franci Pippinum sibi Regem statuerunt, qui
 de mandato Zachariae Papae coronatus fuit per S. Bonifacium Ma-
 guntinae ciuitatis Archiepiscopum. Extat diploma donationis
 monasterio Epternacensi à Pippino Rege factae, cuius hoc
 est exordium: *In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Pippi-
 nus illuster vir, Rex Francorum. Cum propitiâ Diuinitate ad hoc
 intendimus, ut sanctis locis aliquid muneris impendimus, & rega-
 lis munificentiae commendamus largitatem, & supernam nobis con-
 ciliamus pietatem; proinde notificamus omnibus Christi nostriq; fi-
 delibus, esse locum in regno nostro Epternaca vocatum. Reliqua
 paucis omiſſis leguntur apud Miræum in Notitiâ Ecclesia-
 rum Belgij cap. 20. Hæc additur clausula: Et ut hæc traditio
 nostra, regali auctoritate firmata, inconuulsa permaneat, hanc tra-
 ditionem manu propriâ subterfirmamus, & sigilli nostri impressione
 fideliter sigillamus. Signum Domini Pippini Regis gloriosissimi. Bo-
 nifacius Archicancellarius recognoui, Datum tertiâ Nonas Maij,
 anno Incarnationis Domini DCCLII, Indictione quintâ, anno verò
 Domini Pippini Regis tertio. Actum Compendio palatio in Dei no-
 mine feliciter. Amen. Signum Garobaldi Episcopi. Signum Berna-
 rei Episcopi, &c. Erat signum Pippini litteris nomen eius mo-
 re illius æui exprimentibus efformatum. At descriptum
 cum autographo consentire hoc testimonium confirmat:
 Collationata est hæc copia cum suo originali, & verisona reperta de
 verbo ad verbum & litteris ad litteras, per me infrascriptum Con-
 cily Regie maiestatis Luxemburgensis Prographæum.*

V. Strengb.

Secundùm

Secundùm hoc diploma annus 1000, regni Pippini primus est: quam sententiam confirmant Annales quam plurimi ab auctoribus coeuis aut valdè antiquis conscripti. Quales sunt Annales Francorum auctiores ab anno 1000 ad annum 1000, quo auctor se vixisse testatur, ex MS. Tilianno à Chesnæo tomo 2 à pag. 11 editi: tum Annales Rerum Francicarum ex MS. Bauarico ab Henrico Canisio tomo 3 Antiquæ Lectionis vulgati, ab anno 1000 ad 1000, qui ex MS. Loiseliano continuantur apud Chesnæum à pag. 24 ad annum 1000. Dein Annales Regum Francorum ab Eginhardo Caroli Magni Notario ab eodem anno 1000 ad an. 1000 conscripti. Iisdem consentiunt tum Annales Bertiniani ab eodem etiam anno 1000 ad annum 1000 continuati, tum Annales Metenses ad annum 1000 deducti. Habemus penes nos codicem MS. admodùm vetusto caractere de Historiâ Pippini & Caroli ab nuptiis Ansperti cœptâ, sed cui post annum 1000 mutilo aliqua defunt. In hoc codice post relatam ad annum 1000 bellum Bauaricum & nuptias Pippini, ista traduntur:

Anno 1000 Burghardus Vurzeburgensis Episcopus & Fulradus Capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam interrogando de Regibus in Franciâ, qui illis temporibus non habentes Regalem potestatem, si benè fuisset an non. Et Zacharias Papa mandauit Pippino, ut meliùs esset illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum, qui sine Regali potestate manebat. Ut non conturbaretur ordo, per auctoritatem Apostolicam iussit Pippinum Regem fieri.

Anno 1000 Pippinus secundùm morem Francorum electus est ad Regem, & unctus per manum sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi, & eleuatus à Francis in regno in Sueffionis ciuitate.

Z

Anno

Anno 100CLI Hildericus, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in monasterium missus.

Anno 100CLII Pippinus, monente S. Bonifacio, quibusdam Episcopatibus vel medietates vel tertias rerum reddit, promittens postmodum omnia restituere.

Anno 100CLIII Pippinus Rex in Saxoniam iter fecit . . . eodemq; anno Stephanus Papa venit in Franciam . . .

Anno 100CLIV supradietus Apostolicus Stephanus confirmavit Pippinum unctioe sancta in Regem, & cum eo inunxit duos filios eius Dominum Karolum & Carlomannum in Regibus: & Dominus Bonifacius Archiepiscopus in Frisia nuntians verbum Domini & predicando Martyr Christi effectus est. Hæc ibi, quæ ferè eadem in reliquis Annalibus citatis narrantur: uti etiam secunda à Stephano Papâ unctio anno 100CLIV facta: quam etiam refert Iperius, additque: Huius secunda coronationis Pippini tempore Rex Hildericus monachus huius ecclesiæ obiit. . . Nec multo post Abbas Nantharius migravit ad Dominum. & mox capitulum 7 ita incipit: DAGOBERTVS huius loci Abbas VII rexit monasterium à tempore secunda coronationis Pippini Regis, ferè usque ad obitum ipsius: qui contigit VIII Kalend. Octob. anni 100CLXVIII.

Chronicon Fontanellense hætenus dicta confirmat, ac filium Childerici ultimi suggerit his verbis: Huic egregio Patri Austrulfo edidit gloriosus Rex Pippinus privilegium quoddam suæ auctoritatis: in quo præcepit, ut nullus Iudex nec exactor reipublicæ Francorum, ad causas audiendas ac fræda exigenda, nec fideiussores accipiendos, nec ad ullam exacturam gerendam, in potestatem huius cænobij ingredi audeat: sed sub perenni suâ defensione ac protectione secunda in æternum ab omni querimoniâ valeret permanere. Quod privilegium in scriniis huius nostri monasterij promunere sacro adhuc conseruatur. Editum est anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinquagesimo, die octavo Iduum Iunia-

rum, Vermeriâ palatio regio. Quo anno idem gloriosus Pippinus, ex consultu B. Zachariae Papae urbis Romae, à B. Bonifacio Archiepiscopo unctus, Rex constituitur Francorum, ablato Principis nomine. Unde rumor potetiae eius & timor virtutis in uniuersas transiit terras. Et Hildericus Rex Merouvingorum ex genere ortus, depositus, tonsusq; ac in monasterio S. Audomari, quod dicitur Sythiu, trusus est. Cuius filius, nomine Theodericus, in hoc monasterio anno sequenti Clericus effectus, collocatus est. In eodem Chronico, in Wandone Abbate, annus quintus Regis Pippini numeratur Dominica Incarnationis, DCCLIV, quo loco agitur de miraculis patratis ope S. Seruatij, de cuius Reliquiis particulas Wando Traiecto, ubi in exilio aliquamdiu fuerat, Fontanelam attulerat.

V I I

S. DAGOBERTVS Sathanacensis Patronus, Martyr habitus: incertum an regia stirpis.

S Athanacum vrbs Lotharingiae perquam munita, in confiniis Ducatus Luxemburgensis ad flumen Mosam, sacras Reliquias S. DAGOBERTI à pluribus seculis adseruat. De hoc DAGOBERTO inquirimus, quis fuerit. Alij solum Martyrem appellant: alij Regem Francorū; sed Confessorem quidam, nonnulli Martyrem. Antiquissimum monumentum, in quo illius memoria reperitur, extat in Chartulario monasterij Gorziensis, scriptum anno CIX, quo ecclesiam S. DAGOBERTI tradidit monachis Gorziensibus Godefrius Barbatus Lotharingiae Dux, filius Gothilonis Ducis: cuius diplomatis partem hîc damus.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Godesfridus Dei gratiâ Dux & Marchio. . . instinctu & supplicatione venerandæ collateralis nostræ Beatricis multoties sollicitatus, considerans, ecclesiam S. DAGOBERTI apud Sathanacum, villam iuris nostri, & pretiosis ipsius sancti MARTYRIS ossibus, & multis aliis Sanctorum pignoribus illustratam sed à Canonicis inibi sub carnali vitâ degentibus, & sua potius quàm Diuina querentibus, vsquequaque neglectam; virum boni testimonij & sanctæ conuersationis Henricum Gorziensem Abbatem & monachos eius, cum consilio Domini Conradi sanctæ Treuirorum Sedis Archiepiscopi, (in cuius diœcesi locus ipse situs erat) ceterorumque fidelium Dei ac nostrorum conuocauimus, & illis remotis istos in locum eorum substituimus. Quapropter notum esse volumus tam futuris quàm presentibus sanctæ Gorziensis Ecclesiæ filiis & fidelibus, quia ecclesiam iam dictam S. DAGOBERTI S. Gorgonio & Abbati Gorziensi Henrico & successoribus eius legali donatione concedimus & confirmamus, & omnibus rebus sibi EX ANTIQVITATE appendentibus delegamus, id est, in dotibus altaris, in decimis, campis, pratis, pascuis, siluis, piscationibus, censibus, capaticis, & omnibus aliis pertinentiis. Præterea super addimus eis iudiciarium mansum superponimus cum redditibus suis ecclesiam sitam apud villam Mosacum. . . Et ut hæc donatio & confirmatio perpetuum

memo

memoriale obtineat, hanc descriptionem testamentalem iussimus exarari, & nostri sigilli impressione, simulque testium idoneorum affixione signari. Signum Godefridi Ducis. S. Beatricis coniugis suæ. S. Godefridi filij sui. S. Heselini Comitis ... Actum Bullioni, anno Dominicæ Incarnationis CIO LXIV, Indictione VII, regnante Henrico, filio gloriosi Imperatoris Henrici anno regni eius XIII.

Godefridus Dux eodem adhuc anno CIO LXIX, aut, vt alij volunt, CIO LXX mortuus est, relictis Godefrido Gibboso hærede, & Idâ filiâ, quæ Eustathio Comiti Bononiensi nupta, peperit Godefridum Bullonium, dein Regem Hierosolymitanum. Hic Godefridi Gibbosi auunculi sui absque liberis mortui, hæreditatem adeptus, ecclesiam S. DAGOBERTI, ab Arnulfo Comite occupatam, monachis Gorziensibus restituit. Cuius beneficij diploma in eodem Chartulario Gorziensi refertur pag. 186, ex quo hæc excerpo:

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus sancti, Godefridus, Diuinâ propitiante clementiâ, Dux & Marchio ... Notum esse volumus sanctæ vniuersalis Ecclesiæ filiis & fidelibus tam futuris quàm presentibus, quia Dux Godefridus, auus meus, cum Beatrice uxore suâ, apud Sathanacum iuris sui villam, in ecclesiâ sancti MARTINIS DAGOBERTI, pro suarum animarum remedio, monachos de monasterio S. Gorgonij constituerat, eisque inter alia ad supplementum victus & vestitus ecclesiam villa Mosaci, quæ sine contradictione suæ potestatis erat, legaliter con-

donauerat . . . Quibus omnibus auditis & diligentius consideratis, visum est nobis, Comitem Arnulfum qui princeps ipsorum fuerat ecclesie peruasorum, sub nomine sacramenti & fidei coniurare, utrumnam hæc omnia cognosceret vera esse, an potius ea vellet vel posset veraciter impugnare. Qui sine adiuratione accepta, confessus est hæc ita, ut diximus, acta esse, seque & interfuisse, & audisse & vidisse, & ipso auctore meo hanc donationem faciente, laudasse . . . Et ipse iure obniti non valens, ad opus Dei & S. DAGOBERTI, ibique deseruientium monachorum, ipsam ecclesiam nobis integrè & sine omni in posterum reclamazione reddidit & verpiuit: & nobis ecclesie donum S. DAGOBERTO super altare restituentibus, ipse spontaneus interfuit & laudauit. . . . Signum Godefridi, Dei gratia Ducis & Marchionis. S. Amalrici. S. Simonis fratris sui. S. Valteri. S. Ottonis . . . Acta Bullioni anno Domin. Incar. CIOXCIII Indict. I, anno regni Henrici quarti XXXVII, Imperij X. Pontificante Domino Filberto Treuorum Episcopo anno Pontificatus sui X.

In alio eiusdem Godefridi diplomate hæc leguntur:

Ego & frater meus Balduinus notum facimus omnibus, quòd ecclesia apud Sathanacum olim villam, nunc castellum, in honore S. DAGOBERTI MARTYRIS constructa temporibus priscis, ab auctore nostro Duce Godefrido Barbato & Beatrice coniuge sua, S. Gorgonio Gørziensi & Henrico ipsius loci

ci Abbati & monachis ipsius, cum omnibus appendiciis suis donata, & ab eius filio Godefrido similiter Duce nostroque auunculo tota vita sua laudata est . . . Quapropter . . . ego Godefridus Dux & frater meus Baldwinus . . . ut Fratres predicto loco deseruientes, pacifice illud & absque cuiusquam inquietudine teneant, per manus liberorum fideiussorum super altare S. Gorgonij donum ipsum poni, & vestitura legali confirmari effecimus, scilicet ecclesiam S. DAGOBERTI cum domo, quae vulgo Cella vocatur, & cum omnibus appendiciis, simulque ecclesiam de Mosaco cum omnibus utilitatibus suis, & omnibus quae predictus auus meus superaddidit donationibus prelibatis. Ut autem haec nostra statuta rata & inconuulsa maneant, hanc memorialem descriptionem fieri iussimus, & sigilli nostri impressione, testiumque idoneorum affixione signauimus. Signum Godefridi Ducis, qui hanc chartam describi fecit. S. Balduini fratris sui . . . Actum Sathanaci anno Dominicae Incarnationis CIOXCVI, Indictione IV.

Eodem adhuc anno, xv Augusti Godefridus Bullonius iter in Terram sanctam aggressus est. En tria diplomata seculo XI signata, in quibus septies nomen S. DAGOBERTI repetitur, tertio MARTYRIS laude decoratur, nusquam Regio nomine aut stirpe nobilitatur. Dicitur ecclesia in eius honore priscis temporibus constructa: ergo ducentis fortasse vel trecentis annis elapsis.

S. DAGOBERTVS, *Rex Francorum habitus, an filius S. Sigeberti? an DAGOBERTVS I?*

GOrgonius Martyr Patronus Gorziensis monasterij colitur IX Septembris: ad diem proximè sequentem hæc traduntur in Calendario Breuiarij Treuirensis MS. *iv Idus Septemb. DAGOBERTI Regis Martyris Fræcia.* At XXIII Decembris celebrior S. DAGOBERTI memoria est: quo die in septem codicibus MSS. Vsuardi, sed ad vsum Ecclesiarum Belgicarum auctis, ista legimus: *Eodem die DAGOBERTI, Regis Francorum.* quæ eadem habent Maurolycus, Martyrologium Coloniae anno *MDCCCXC* usum, & Molanus in Auctario Vsuardi. Hermannus Greuen in suis additionibus adscribit *Confessoris* titulum, Ferrarius in Catalogo Sanct. Treuiris, inquit, S. DAGOBERTI Regis, patris S. IRMINÆ Virginis, *primæ Abbatissæ Horreensis.* Refertur hæc eodem die in quodam Codice MS. ast in Martyrologio Romano aliisque postridie, seu XXIV Decemb. Fuisse S. Irminam filiam DAGOBERTI II, Regis Austrasiorum, suprâ probauimus. De eodem agit idem Ferrarius XXIX Ianuarij: *Metis S. DAGOBERTI Regis,* idque vti annotat, *ex Calendario Ecclesiæ Metensis.* In quâ vrbe vti & Treuirensi DAGOBERTVS vixit: ac Metis mortuus sepultusque est S. Sigebertus, Rex etiam Austrasiorum, & huius DAGOBERTI pater. De morte DAGOBERTI suprâ egimus, & ex loco sepulturæ apud Rotomagenes in regno Neustriæ, in bello quod cum Rege Theoderico & Ebroino Maiore-Domus coactus gessit, captum, læsum occisumue

occisumue coniectauimus. At factâ apud eosdem Rotomagenses inquisitione, didicimus, omnino certum haberi. DAGOBERTVM illic in S. Audoëni, aliàs S. Petri, basilicâ tumulatum fuisse; sed nesciri quando, quomodò, quorsumue de illo loco translatum sit Regis istius corpus. Quod variis occasionibus fieri potuit, aut inter pacis conditiones Optimatibus Austrasiæ corpus sui Regis repetētibz, quorum aliquis ex suo affectu sepulturam illius Sathanaci concedi impetrârît; aut aliquo Francorum Rege, vt Austrasis gratificaretur, vltro offerente, aut etiam, vt transferretur Sathanacum vsque, procurante: maximè si illic antè captus, læsus, aut per iniuriam interemptus fuerit. Potuit etiam sepulchrû eius postea tantâ virtute miraculorum clarescere, vt cultus sacer eiusdem Canonicâ auctoritate fuerit sancitus. Potuit denique controuersum fuisse, quâ potissimum veneratione honorari posset: num cum S. Leodegario Episcopo aut S. Ragneberto Duce, aliisque vi atque tyrannide Ebroini oppressis atque occisis, esset Martyribz annumerandus: nam etiam hos novos & quasi alterius generis Martyres temporibus Christianorum effectos scribunt auctor Vitæ S. Leodegarij aliisque. Hinc aliqui forsan *Natalem DAGOBERTI* Regis solùm indicant, quem alij *Confessorem*, alij *Martyrem* prædicant, etiam ab aliquibus omisâ regiâ dignitate, quòd expulsus plures scirent, non autem ad regnû Austrasiorum reuocatum. Quâ de causâ vti reliqua eius Acta, aut DAGOBERTO primo, aut DAGOBERTO vltimo passim leguntur attributa; ita hæc eius veneratio ad alterutrum existimari potest, promiscuè translata.

Ac de DAGOBERTO primo, in Florario MS. ista referuntur ad XXIII Decembris: *Eodem die Depositio S. Dagoberti Regis Francorum, inclytâ de stirpe Karolidarum propagati. Qui opti-*

mè regalia scepra gubernans, Ecclesiarum & Sacerdotum atque pauperum seu peregrinorum ditator supra modum largissimus extitit. Hic iustitia amorem est complexus, eò quòd Pippini Maioris-Domus & Brabantia Ducis consilio inniteretur: ac vniuersarum gentium sibi subditarum adeò fauoribus extollebatur, vt nullus de præcedentibus Francorum Regibus illius laudibus fuisset præexcellen-
 tior. Postquàm ergo DAGOBERTVS annis quatuordecim optimè gubernasset, dormiuit in pace anno salutis IOCLV. De quo per visionem cuidam reuelatum est, quòd anima eius ad iudicium Dei rapta sit, & multis contra eam pro expoliatione ecclesiarum suarum declamantibus, cùm eam iam mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti Martyris Parisiensis Dionysij, cui ipse maximè deuotus fuerat, liberata est. Ita Florarium seculo decimo sexto conscriptum. Idem Rex DAGOBERTVS refertur in Martyrologio Germanico Canisij anno CIIOXCIX edito: quem ad eundem diem Pissadnumerat Saussaius in Martyrol. Gall. In Austrasiâ, inquit, colitur hodie beata memoria DAGOBERTI Francorum Regis Christianissimi, in villâ Spinogillo ad Sequanam XIX Ianuarij defuncti, atque post mortem è manibus demonum per Sanctos erepti, quorum ipse præcipuè ecclesias ornaue-
 rat, &c. Et XIX Ianuarij hæc habet: Obiit piæ memoriæ DAGOBERTVS Rex Christianissimus, cuius animam precibus S. Dionysij ereptam extremo è discrimine & in calum euectam vidit Ioannes sanctissimus anachoreta. Hæc ille. Sed qui in Austrasiâ colitur, Austrasiorum potiùs fuisse Rex censendus, cùm è viuis excessit, cuius & apud Austrasios corpus adseruatur. Atque ipse Saussaius supra ad XXIII Decemb. scribit DAGOBERTVM I sepultum fuisse in ecclesiâ S. Dionysij in Fraciâ, quam ex voto magnificè extruxerat. Testatur Dubletius lib. 4 Antiquitatum monasterij S. Dionysij cap. I, corpus DAGOBERTI istius ad dexterum latus maioris altaris ab initio colloca-
 tum,

tum, modò sub ipso altari situm esse, in eâque ecclesiâ XIV Kalendas Februarij anniuersarias pro eo preces hodieque celebrari.

I X

S. DAGOBERTVS, *an filius Childeberti Regis? An Dux aliquis Francorum?*

ALij contrà DAGOBERTVM vltimum filium Childeberti eum esse putant, quem Sathanacenses Martyrum honoribus celebrant. De quo Theodericus monachus Epternacensis, quem ferunt anno CIÖXCII res gestas Regum atque Imperatorum collegisse, ita scribit: *Anno verò IOCCXV DAGOBERTVS Rex anno V regni sui in Cortiâ siluâ occisus, Sataniaco sepultus est.* Eodem, quo Theodericus, seculo floruit Albericus Trium-Fontium monachus, cuius in Chronico ista narrantur ad annum IOCCXIV: *Mortuo Childeberto Francorum Rege, post annos XVII, & in abbatiâ S. Stephani de Cauciaco sepulto, quidam filius eius Chlodoueus, qui & DAGOBERTVS, regnat annis IV.* Anno deinde IOCCXIX: *DAGOBERTVS Iunior Francorum Rex à quodam filiolo suo in siluâ martyrizatus, iacet apud Sathanagium.* Edidit hæc duo testimonia Alexander Wilthemius in eruditissimo Commentario ad Acta S. DAGOBERTI Regis Francorum & Martyris.

Videntur Acta illa seculo Christi XII, & à Gorziensi forsitan quopiam monacho ad suos Sathanaci degentes, scripta. Nam in Prologo ait se à *Fraternitate Satanagensi flagitante rogatum, aggredi arduum opus de gloriosi Regis DAGOBERTI actibus...* quia, ut S. Benedictus ait, *Obedientia que maioribus*

præbetur, Deo exhibetur. Prætereà obseruat Wilthemius in Appendice pag. 80, ex quo sub Brunone Treuirorum Archiepiscopo, (qui sedit ab anno CIOCH ad annum CIOXXIV) Sathanaci pro Canonicis locati sunt Gorzienses cœnobitæ, hos paræciis Sathanacensi & Mosacensi vicarios Presbyteros Curatores dedisse, eisq; stipendium & vectigalia constituisse: sed exinde supergredientibus Presbyteris stipendij vectigaliumq; decretorum modum, Brunonem Archiepiscopum, re ad se delatâ, denuo intra modum Presbyteros factis tabulis coërcuisse, ac dein anno CIOCLVIII Hillinum Treuirorum Archiepiscopum Isembaldo Gorziensi Abbati firmanisse Sathanacensem cellam, & quid Pastor Sathanacensis, quid Mosacensis, quid cella Sathanacensis inuicem iuris haberent, sanxisse, atque etiam paræciam ad Balim vicum, assensu Brunonis eius regionis Archidiaconi, D DAGOBERTO donauisse, conditis tabulis Augusta Treuirorum. Hæc ibi: è quibus constitutæ in cellâ Sathanacensi fraternitatis monachorum Gorziensium tempus penitus eruitur, quando illorum rogatu Acta S. DAGOBER-TI arbitramur non tam scripta, quàm absque iudicio temerè congesta. Nec mirum: præfatur namque auctor se actus illius nequaquàm alicubi scriptos nactum esse, imò eos à memoriâ hominum viuentium penitus recessisse. Non ideo tamen comminisci quæ scriberet, ei licebat. Quid suspicari fas sit, inde iudicium esto.

Natus traditur DAGOBERTVS, regnante auo Theoderico, diebus quoque germanorum suorum Lotharij & Hilderici, quasi hi tres fratres simul regnassent. Mortuus est Chlotharius anno IOCLXXV, vel IOCLXXVI, Childericus IOCLXXIX, cui successit Theodericus, vitâ functus an. IOXCIV, relictis, vt supra demonstratum, duobus filiis paruulis, Chlodoueo III, & Childeberto, qui fratri an. IOXCVIII successit, admodum adhuc adolescens infraque pubertatem, vt necesse sit DA-

GOBER-

GOBERTVM non ipso regni initio fuisse natum. Neque verò Childebertus filium DAGOBERTVM S. Bathildi auix suæ, iam pridem tempore Theoderici Regis mortuæ, commendauit in Calâ monasterio moribus piis instituendum, neque sedecim annos regnauit Childebertus, sed solùm tredecim. Dein DAGOBERTVS Remis apud Austrasios in Regem sublimatus traditur, & quidem *benedictionem adeptus regia dignitate ab Archipræsule Sedis Remensium, nomine Landone.* Sed qui isti Ecclesiæ præfuerat tempore S. Sigeberti Regis Austrasiorum, quo tum mortuo eam rexerunt SS. Niuardus, Reolus, & Rigobertus, à Carolo Martello, post obtentam de Chilperico DAGOBERTI successore & Raganfrido, Vinctici in pago Cameracensi, anno MCCXVII mense Martio, victoriam, in exilium pulsus, vti narratur in eius Vitâ IV Ianuarij cap. 4. Imò à DAGOBERTO obtinuiffe S. Rigobertum priuilegium immunitatis suprâ diximus.

Sed pergit auctor quo cœpit pede: ac Synodum ait à DAGOBERTO Rotomagico actam esse, in eâ refedisse Regem, cum Pontificibus, Comitibus ac Palatinis suis: adfuisse Hugonem, filium Drogonis, Abbatem Fontanellensem, repetisse Floriacum monasterium ab auo Pippino ædificatû, & Fontanellensi cœnobio, confirmante Childeberto Rege, subiectum; sed nuper ab Hilderico Maiore-Domus iniuste ablatum. Diximus suprâ, monasterium illud à Pippino & Plectrude extructum esse, eique datum Rectorem Bainum Abbatem Fontanellensem. Huic Bains successit Benignus, & præfuit toto eo tempore quo DAGOBERTVS regnauit, vti priuilegia donationum suprâ relata clarè conuincunt: inter quæ vnicum est ipsius Hugonis, aliud Regis DAGOBERTI anno V regni mense Iunio signatum. Deiecto autem de regimine monasterij Benigno, Wando monachus, filius Bal-

drici subrogatur : quo postea Traiectum in exilium iussu Caroli Martelli victoris ablegato, restitutus Benignus, praefuit ad an. 1000xxiii, mortuus mense Ianuario, celebrata e-
uindicatione villa Monticelli anno III Theoderici Regis XIV Ka-
lend. Augusti, Tulpiaco castro. Huic Benigno tandem subro-
 gatus Hugo, rexit monasterium Fontanellense *annis IX, men-*
sibus II, diebus XIII, ac sanctè decessit *VI Idus Aprilis anni*
 1000cxxx. Hinc alij diiudicēt de Hilderico Maiore-Domus,
 & illustri eo Concilio apud Rotomagenses habito, quorum
 nulli antiquiores scriptores meminere. De Synodo Rotomagen-
 si sub Theoderico Rege auo huius DAGOBERTI ab S. Ansberto Episcopo Rotomagensi collecta agemus
 infra.

Prosequitur auctor acta DAGOBERTI, quem ait à S. Wil-
 librordo in Frisiam euocatum, cum Duce Carolo Martello,
 & magno Francorum exercitu eò venisse, Radbodum in
 Daniam vsque expulisse, & S. Willibrordum in Sede Ponti-
 ficatus relocasse. Neque hæc credibilia: nam DAGOBER-
 TVS anno v regni, Christi 1000cxv, v Iduum Iuniarum, die
 Dominicâ, vti supra demonstrauius, habebat adhuc The-
 odaldum, siue Theobaldum, filium Grimoaldi, aulæ suæ Pre-
 fectum, seu Maiorem-Domus: quem deinde amotum reli-
 quosque Austrasios bello persecutus, prælio confligit in
 Cociâ siluâ: assumpsit Raganfridum Maiorem-Domus,
 fœdus iniit cum Radbodo Duce Frisiorum contra Caro-
 lum Martellum tum Austrasiorum Ducem factum, & eo-
 dem anno obiit. DAGOBERTI successor Chilpericus anno
 sequente 1000cxvi cum Raganfrido, suppetias ferente
 Radbodo, in Coloniensem agrum perrexit, ac cladem in-
 tulit Carolo Duci, ab eo in reditu maiorem passus. Hinc oc-
 casio arrepta adscribendi iter Coloniense DAGOBERTO.

Cuius

Cuius martyrium persuasurus auctor, fingit venationem DAGOBERTI apud Austrasios in filuâ Scorciâ siue Scoriâ, eiusque illic dormientis somnium, quod S. Gunthramno alij adscribunt.

Et hæc de Vitâ DAGOBERTI ibi relatâ. Eius martyrium subnectitur, aliquantò accuratiùs descriptû in Martyrologio MS. Adonis, quod auctum extat, in monasterio S. Laurentij iuxta Leodium: vbi hæc leguntur ad xxiii Decemb. *Eodem die passio S. DAGOBERTI Regis Francorum, qui quadam die pergens venatum in saltu Vnaurensi, plenus Spiritu sancto, in loco qui dicitur Scortias, tribus millibus distante à fisco Sataniaco, in quo ipse orabatur, à filiolo suo, nomine Ioanne, decimo Kalend. Ianuar. martyrizatus est, & ab Angelis deportatus est ad societatem sanctorum Martyrum.* Hæc ibi, in quibus nonnulla sunt ab auctore Vitæ S. DAGOBERTI non animaduersa: DAGOBERTVM illum morari solitum Sathanaci: Scortias tribus millibus à Sathanacensi fisco distare: nomen filioli fuisse Ioannem. Ædificatum est illud S. Laurentij iuxta Leodium vrbem monasterium à Reginardo Episcopo Leodiensi circa annum cixxxvi; in quo eodem xi & sequenti xii seculo litterarum studia admodum floruerunt. Ibi dicitur prima ara erecta ad honorem S. Thomæ Cantuariensis ab Everlino x Abbate, qui post annum cixcxxx, quo ille martyrij palmam est adeptus, vixisse traditur ad annum cixcxcii. Huius interim martyrium recentiori manu memorato Martyrologio inscriptum erat, vt saltem ante illud tempus videatur collectum, & antiquiore etiam manu hinc inde auctum.

Hæc ferè de S. DAGOBERTO occurrere, de re totâ aliorum esto iudicium. In diplomatis Ducum Godefridi
Barbati

Barbati & Godefridi Bullonij supra relatis, nulla regia dignitatis mentio est, & in fisco Sathanacensi eum morari solitumiam diximus, ut videatur Dux aliquis Francorum fuisse, & forsitin e regio sanguine prognatus.

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page is visible through the paper. Some words like "DAGOBERTI", "Duce", and "Dagobertus" can be discerned.]



LIBER